

Johann Christoph Jauch Daniel Sachse

**Jesu Christo Iuvante! & Extraordinario Specialissimoque Amplissimae Facultatis
Philosophicae Induliu Benovole Suffragante, Laicum Confessorem, Qui in
Concilio Nicaeno Oecumenico I. Philosophum Disputatorem Sine Disputatione
Convicisse Fertur, ceu Disputationis Legitimae Vindicem ac Patronum, In
Dissertatione Philosophica d. 26. Octobr. A. M. DC. XCV. In Auditorio Maiori
Placidae Disputantium censurae subiicienda Praeses Joh. Christoph. Jauchius.
Güstrov. ... ac Respondens Daniel Sassi Camino-Pomeranus adumbrabunt**

Rostochi[i]: Richelius, 1695

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn740914308>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 26.0kt. 1695

Jauchius, Joh. Christ.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn740914308/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740914308/phys_0003)

DFG

23.

JESU CHRISTO JUVANTE!
&
EXTRAORDINARIO SPECIALISSIMO QVE
AMPLISSLIMÆ FACULTATIS
PHILOSOPHICÆ INDULTU BENOVO-
LE SUFFRAGANTE,
LAICUM CONFESSOREM,
Qui in Concilio Nicæno Oecumenico I.
PHILOSOPHUM DISPUTATOREM
SINE DISPUTATIONE CONVICISSE
FERTUR,
ceu
DISPUTATIONIS LEGITIMÆ
VINDICEM ac PATRONUM,
IN DISSERTATIONE PHILOSOPHICA
d. 26. Octobr. A. M. DC. XCV. 1695
IN AUDITORIO MAJORI
Placidæ DISPUTANTIUM censuræ subjiciendâ
PRÆSES
JOH. CHRISTOPH. JAUCHIUS.
Güstrow.

Philos. Candidatus, & vocatus ad ædem D. Lamberti
Ecclesiastes Lüneburgensis.

ac RESPONDENS
DANIEL SASSIUS Caminô-Pomeranus
adumbrabunt.

ROSTOCHI,
Typis JACOBI RICHELII, Ampliss. Senat. Typogr. 1695

. 5.

Israe Christo Iuvanti

Exaltacionis Glorie Universitatis

AMPLISSIME INDICATIS

PHYSIQUE INDICTIO PERNICIE

DE THEATRAGANTIB.

LAICUM CONHESSOREM


6. a. C. C. M. Niceno Schismatis f.

PHILОСOPHUM DISPUTATOREM

de Disputatione Conjecturis

disputatio

DISPUTATIONIS



DISPUTATIONIS

PROOEMIUM.

Externam quamcumq; eruditionem primas inter humana bona tenere, & pravo iudicio ut insidiosam & periculosam atq; procul à DEO avertentem à multis Christianis repudiari ; ut suo olim tempore Gregorius Nazianzenus orat. funebr. in Basiliū, sic in hodiernum usq; diem apud omnes sana mentis homines constare, orthodoxæ defensores fidei cum Basilio profitentur ; adeò ut Judice jam laudato totius orientis Theologo, insulso atq; præposteros habendos esse illos censeant, quæ contemnendam eruditioñem, quod ita q;ribusdam videatur, existimant, quib; omnes sui similes esse optant, ut privata eorum ignorantia communis ignorantie tenebris obtutatur, nec quisquam ipsorum inficiam prodat & arguat. Non eqidem omnem veritatis defensionem, ad disciplinarum sic DEUS alligavit cognitionem, ut sine hac nunquam illa possit obtineri; voluit tamen, ut quicquid ab ipso veritatis fonte deducitur, ubicunq; demum reconditum fuerit, in usum veritatis derivetur, & vel ex Esthnicis ut loquitur Augustinus lib. 2. de doctrina Christi. cap. 39. tanquam injustis possessoribus in usum nostrum vindictetur. Hinc a primis Ecclesiæ N. T. Initio, sinceros Christiani nominis Confessores, ipsius Artis Disputatoriae adeò non puduit, ut cœu disciplina potius disciplinarum, non ab hominibus, sed d'ivinitus infinita, ad omnia genera questionum, quæ in literis sanctis sunt penetranda & dissolventa plurimum valens, Augustino laudetur ; & quicquid in seculo dogmata sum per verorum est, quicquid ad terrenam scientiam pertinet, & putatur esse robustum, hoc dialetica arte subverti, & instar incendiis in cineres favillæq; dissolvi posse ut probetur nihil, quod putabatur fortissimum esse, Hieronymo in Cap. XXV. Ezechiel videatur. Quid vero, si contrarium potius probari posset exemplis eorum, qui cum disputationibus nihil obtineretur, plenam tamen in veritate convictionem, citra vel eruditioñis alicujus vel artis disputatoriaæ adminiculum, in animis acerrimorum etiā inter Paganos disputatorum obtinuerunt? Annè ergo releganda è Scholis Christianorum qvælibet eruditioñis subsidia; annè disputationes & disputandi methodus, rejiciendæ venient? Neutiqvam. Tantum enim absit, ut per extraordinaria hujusmodi exempla, de legitima disputandi methodo regulæ rejiciantur, ut defendantur potius & vindicentur. Tendent eò, qvæ de Laico Confessore, qui in Concilio Nicæno Oecumenico I. Philosophum Disputatorem sine disputatione convicisse fertur, cœu disputationis Legitimæ vindice & Patrono, EXTRAORDINARIO, eoqvæ SPECIA- LISSIMO, mihi, qvoad vixero eqidem, nunquam tamen ex merito submissæ deprecando Amplissimæ FACULTATIS PHILOSOPHI- CÆ INDULTU in dissertatione PHILOSOPHICA (qvæ enim Veneranda THEOLOGORUM CATHEDRA sibi vindicare hic posset accuratori ipsorum discussioni, qva decet observantia relinqvemus) commentari anus est. Deus tonatibus annuat; Faveant Patroni & cordati qviquæ lectors!

A

I. Laicum

I.

Laicum Confessorem, qvi in Concilio Nicæno Oecumenico I. Philosophum Disputatorem sine disputatione convicisse fertur, qvando ceu disputationis legitimæ Vindicem ac Patronum, Divino sub auspicio sistere constituimus, duobus omnem tractationem nostram membris includemus; In priori, Laicum Confessorem, qvi in Concilio Nicæno Oecumenico I. Philosophum Disputatorem sine disputatione convicisse fertur, historicè adunbratur; In posteriori, eundem ceu disputationis legitimæ Vindicem ac Patronum producturi.

II. A membro itaqvè priori ut ordiamur, reni omnem narrabimus verbis GELASII, qvi CYZICENUS, à Patria, (natus enim est Patre, Presbytero Ecclesiæ Cyzicenæ) & CÆSAREENSIS, qvod Cæsaræ in Palæstina Episcopus esset, salutatur. Hic, cum Juvenis adhuc, inqvè domo Paterna vitam degens, in antiquissimum qvendam librum, membranis planè integris constantem, qvi Dalmatii Archi-Episcopi Cyziceni (qvo de v. Socrates. H. E. lib. VII. c. 28.) qvondam fuerat, & memorabilia circa historiam Concilii Oecumenici I. (qvod Præside Constantino M. Nicæae in Bythinia in media regalis Palatii aula A. C. CCCXXV. imperii Constantini XX. Paulino & Juliano Consulibus, XI. Calend. Jun. ad retundendam Arii impietatem à CCCXIX. ut volunt communiter, Episcopis è præcipuis universi Christiani orbis partibus congregatis, habitu sum est) offerebat, incidisset, ex eo ipso, nec non Eusebii, Ruffini, aliorumqvè scriptis, laudatae Nicæae Synodi historiam, sermone, ut loquitur Photius cod. XV. vili & humili, sic tamen ordinato, ut minima qvæd in Synodo gesta narret, sub Basilisco Tyranno Circa A. C. CCCCLXXVI. qvò Eutychianos potissimum ad auctoritatem Venerandi Concilii impudenter provocantes confutaret, tribus composuit libris. Primum ex his & secundum una cum tribus Constantini M. Epistolis, qvæ defectum libri tertii, inter desiderata numerandi, compensant, cum versione Latina & notis Robertus Balforeus Scotus Parisiis anno M. D. XCIX. edidit; unde & illustri collectionis Regiae Conciliorum omnium generalium & provincialium operi, Parisiis A. M. DC. XLIV. vulgato, inqvè Tomos XXXVII. in Fol. diffuso (cujus notitiam instruictissimæ Serenissimi Duci Güstroviensis DOMI-

DOMINI GUSTAVI ADOLPHI

Principis Mei longe Clementissimi, Bibliothecæ , uti & me totum, deboe ;) Tom. II. pag. 376. inserta reperitur.

III. Sic autem Gelasius L. II. historiæ laudatae Cap. 13. pag. 376. de Laico nostro : *Quidam ex Sanctis Confessoribus* (i.e. iis, qui ob liberam Evangelii confessionem variis à Tyrannis calamitatibus fuerent onerati, nondum tamen penitus oppressi , ut pluribus patere potest, ex Lubero Confessore Excellentissimi nostri Möller, de me meisqvè studiis immortaliter meriti, & ob innumerab. beneficia nunquam satis deprædicandi §. 14. & seqq.) qui Synodo intererant (post superatas enim gravissimas persecutiones ubi sub Constantini M. imperio haleyonia Ecclesiæ DEUS concessisset, pristinæ suæ fortunæ Decreto Imperatorio restituebantur Confessores, sive Clerici essent, sive Laici, magnoque numero cum illis & hi ad Concilium Nicæum venerant ;) *Vir simplex natura si quis alius ex eo cœtu qui nihil aliud novenerat præter Christum, & hunc crucifixum in carne secundum Scripturas : cum Una cum Episcopis esset & videret Philosophum insultantem prius nostris Episcopis & disputationis versutia fese jactantem, (nam & Philosophi Pagani ad Concilium Nicæum confluxerant, partim ut Christianismo illuderent omni, partim ut impietatem Arii à quo conducti erant , palliarent ; Qvemadmodum ipse Gelasius ex mercenariis Arii Philosophis hunc nostrum Sophistam fuisse resert ;) Poscit ab Episcopis DEI Sacerdotibus veniam colloquendi & congregandi cum Philosopho (unde patet è Laicis hunc fuisse, qui ordinariè, ut auditores potius & spectatores, quam actores se sistere consueverant ;) tum verò Episcopi nostri cum simplicitatem viri & literarum imperitiam viserent, fvidebant ei in medium non prodire, ne forte ab improbis & veritatis hostibus irrideretur. Ille cum continere se non posset ; Philosophus aggreditur, & ad eum inquit : In nomine IESU Christi , DEI verbi , semper cum Patre existentes , audi veritatis dogmata O Philosophe : Certe inquit ille si dixeris. Tum sanctus. DEUS inquit , unus est , qui postquam cœlum, terram, maria & quæcumque in iis continentur , fabricasset & hominem ex terra finxisset, omnia sustentavit verbo suo & Spiritu Sancto , hoc verbum O Philosophe , DEI filium esse cognoscentes , adoramus credentes, illum , ut nos redimeret , ex Virgine carnem assumisse , natum esse , & hominem factum esse , & per carnis sua passionem in cruce , & mortem ab aeterna damnatione nos liberavisse , perq[ue] resurrectionem suam,*

am, eternam nobis vitam contulisse: quem ad caelos regressum speramus iterum venturum, & Judicem futurum omnium quae in vita gessimus. Haccine credis O Philosopho. Ille tanquam differendi & contradicendi impertitus obstupuit, & velut surdus aut mutus obticuit, hoc solum, voce ad commiserationem inflexa dicere potuit: Mibi haec ita se habere vindentur, nec aliud quicquam verius esse credo, quam quod Tu dixisti. Tum Senex ait: Si haec ita se habere credis Philosopho, surge, sequere me, ad Ecclesiam properemus, in qua hujus fidei sigillum accipias. Philosophus autem cum mentem suam ad veram in DEUM pietatem flexisset, surrexit, & secutus est Senem. Conversus vero ad discipulos suos, & ad eos, qui audiendi gratia illuc confluxerant: Audite, inquit, O Viri, quamdiu verbis contendebamus, verba verbis opposui, & objecta dicendi arte refelli: sed ubi pro verbis divina virtus ex ore dicentis prodiit non potuerunt amplius verba virtuti resistere, nec homo adversari DEO voluit. Et ideo si quis vestrum intelligere potuerit, que mihi intellexisse videor, credat in Christum, & sequatur hunc Senem, in quo locutus est DEUS. Hoc itaque pacto Philosophus illuminatus & Christianus factus se victum esse a Sene gratulabatur. Quod vero Philosophus baptizatus fuerit, & DEI Ecclesiae adjunctus quieverit, & ob magnifica DEI facta exultaverit, Synodus ipsa gaudebat.

IV. Haec l. c. Gelasius; cum quo conferri possunt Ruffinus L. X. c. 3. Sozomenus L. I. c. 18. Cedrenus Compend. Histor. p. 286. Historia Concilii Nicenii, magno Conciliorum operi T. II. p. 165. inserta, cuius evidem auctor non nominatur, ipsum tamen Systema collectum dicitur ex Scriptoribus vetustis, Ruffino, Socrate, Theodoreto, Sozomeno, Athanasio, Methodio, Eusebio, Epiphonio, Dionysio Exiguo & aliis. Addatur etiam Socrates H. E. L. I. c. 8. quem hoc respexisse plurimi autemant. Recentiores, qui ad antiquos hos provocant, silentio jani studio præterimus, quia omnis eorum relatio in auctoritatem Scriptorum à nobis allegatorum resolvitur.

V. Ceterum si de historiæ jamjam productæ veritate disquisitionem instituere velimus, negare non possumus (α) Eusebii silentium, (β) Ruffini (quem volunt primum omnium ejus injecisse mentionem) auctoritatem, non omni omnino exceptione majorem; (γ) Sozomeni & aliorum, quibus in recensione utuntur formulas, Ajunt, dicunt, Ferunt, perhibent, ceu indubitatas ex confessione Criticorum dubiae fidei notas; & (δ) variantes maximè circumstantias, dubia movere posse non

non contemnenda, quibus & moti Valesius, ut in *notis ad Socratis*, H. E. I. I. c. 8. pag. 6. anceps maximè hæreat; imò CL. Cave in *historia literaria Scriptorum Ecclesiastic.* p. 260. futilem *historiam* nominet. Neqvè insi, ciāmur Gelasii, (ad qvem, ceu prolixissimè, habito omnium circumstantiarum respectu accuratori, factum è variis recensentem Scriptoribus, præ aliis provocare voluimus;) auētoritatem, à qvam plurimis, maximè Pontificiis, adeò in dubium vocari ut & Valesius ad *Socratis* L. I. C. 8. p. 6. Gelasium, cum hoc argumentum (de convictione Philosophi per Laicum) nactus esset, mirum in modum auxisse atq; amplificasse, singulorum Philosophorum interrogations retulisse & responsa Episcoporum; qvæ omnia fabulas potius redoleant, qvam *historiam rerum gestarum*, asserat.

VI. Verum nostri res non est instituti curatus in hæc nunc inquirere, ne tamen nihil omnino videamur dixisse, paucis tantum observamus (I.) non deesse prorsus responsiones, ad dubia, circa historiæ veritatem mota, in conflictu, si data fuerit occasio, recensendas; (II.) ipsius Gelasii fidem adversus Pontificiorum exceptiones facili etiam negotio defendi posse, qvemadmodum probavit incomparabilis B. Dorscheus *Exercitatione ad Concil. Nicen. I.* Δετύπωσις de sacra Syntaxi Cœne Dominiæ à Gelasio Cyziceno commemoratam p. 85. (III.) interesse suum in deprimenda Gelasii auctoritate Pontificios habere, Censores in specie Romanos, in admonitione ad Lectorum Gelasianæ historiæ præfixa & T. II. Conciliorum pag. 302. inserta situm; in eo, qvod, qvæ de Constantino M. singunt, auctoritate Gelasii, non, ut volunt, palliare valeant. (IV.) Judicium de veritate Historiæ Lectori Benevolo nos relicturos, ita tamen, ut, si vera esset ea, ostendamus evincamusq; exercitia etiam disputatoria extollipr̄ illam potius qvam deprimi; id qvod ut indicaremus, promisimus in Titulo, nos Laicum Confessorem, qui in Concilio Nic. Oecumenico I. Philosophum disputatorem sine disputatione convicisse FERTUR, ceu Disputationis legitimæ Vindicem & Patronum adumbraturos.

VII. Et hæc de Membro priori; Restat nunc ut in membro posteriori ostendamus eundem Laicum Confessorem, de quo membro priori diximus, qvod in Concilio Niceno Oecumenico I. Philosophum disputatorem sine disputatione convicisse feratur, ceu disputationis legitimæ Vindicem ac Patronum sibi posse & debere.

VIII. Primo eqvidem intuitu tantum videtur abesse ut Artis Disputationariorum principia & Exercitia probentur ac commendentur, per recensitum laici factum, ut, ceu inutilia & insufficientia improbari potius & rejici videantur. Hinc, qui solidam eruditionem cum vera consistere pietate non posse somniant, creberrimè ad Laicum nostrum provocare conveverunt. Sufficiat è plurimis Fanaticorum, unicum, eumqvè citra dubium Principem, Robertum Barclajum, virum (si virtutem & in hoste, uti decet, laudare velis,) multivaria, eaqvè non superficiaria eruditione, ingenioqvè satis acuto præditum, produxisse, qvi, ubi in *Theologiae verè Christianæ Apologia Carolo II. Magnæ Britanniæ Regi oblata*, de futuri Ecclesiæ ministri eruditione, hujusqvè requisitis, differit, Protestantiumqvè statuta de studiis, animarum Pastoribus necessariis, examinat, N. 20. p. 198. secunda, inquit, literaturæ eorum (Protestantium) pars est *Logica & Philosophia*: ars vero Ministro ita inutilis, ut si verus Minister illam habuerit, tutius illi fuerit oblivisci & amittere eam; Est enim radix & origo omnis contentionis & altercationis, & qva aliquid magis obscurum sit, non luculentius. Nam sub prætextu regulandi hominis rationem in certum ordinem, ut veritatem inveniat in tantum altercationis labyrinthum ducit, ut ad Scepticum potius, quam Christianum faciendum apta sit, multò minus Ecclesia ministrum; imò sèpè abstrahit hominem à clara illa rerum intelligentia; quam ipsa ratio iis suppeditaret, ideoq; multivariis ejus regulis & variis inventionibus, qui modicam rationem habet, multa inutiliter & sultè loquendo occasionem tribuit. Qui enim non admodum sapiens nec bonus est, perfectus dialeticus esse potest, & si sultescrere eum velis, qui non admodum sapit, doce eum *Logicam & Philosophiam*, & si antea quibusdam aptus fuerit, tunc nibilo utilis futurus est, sed ad omnia ineptus, nisi ad inepte garriendum & blaterandum; notiones enim illæ in cerebro ita natabunt, ut mire illum de nibilo occupatum effecerint. — Si urgeatur, hac arte veritatem defendi & confirmari, & hereticos refutari. Respondeo, veritatem, qvæ est in hominibus, verè rationalibus, hujus auxilio non egere, & obstinatos hanc minimè convincere, imò hæc multa artificia & distinctiones discunt, qvibus veritatem opugnant; veritas autem ab honesto corde proveniens, & virtute Spiritus edicta plus valebit, & citius penetrabit, quam mille demonstrationes Logice, sicut confessus est *Ethnicus ille philosophus*, qui cum Christians Episcopis in Concilio Nicano disputans tam argutus erat, ut ab eis superari non posset,

set, sed tamen pauca quedam verba ab illiterato quodam rustico dicta, eum continuò ad fidem Christianam adduxerunt, & interrogatus, quomodo Seni illi ignaro tam citò concesserit & non Episcopis, respondit, dum verbis cum illo contendarent, verba verbis dare potuit, sed processisse à Sene illo secretam quandam vim cui resistere non valebat. Hac autem vis & virtus debet esse illa Logica & Philosophia qua cum Christianus minister edocitus esse debet, ad quam acquirendam nihil Aristoteli debe-re necesse habet. His cum principiis quomodo convenient, qui orthodoxam sub ficto Pietatis nomine turbant Ecclesiam, varia eorum scripta doccebunt. Confer. ausführliche Beschreibung des Unfugs der Pietisten p. 24. & 32.

IX. Sed falli & fallere cum asseclis suis Barcrajum, evidenter patet, singulis rerum circumstantiis probè ponderatis. Nos instituti mores. (I.) quid sub legitimæ disputationis nomine veniat, declarabimus; (II.) nec principia nec exercitia Artis Disputatoriaæ facto Laici nostri everti, ostendemus, sed (III.) eadem probari potius ac vindicari probabimus; (IV.) deniqvè Barcajo & asseclis, inquantum id à Philosopho fieri potest, ac-debet (Theologicum enim examen Theologis relinquisimus) satisfaciemus.

X. Disputationem legitimam cum antea laudato Excellentissimo nostro Præceptore Dn. Prof. Möllerio in methodo disputandi hactenus inedita proemii §. 1. dicimus esse: tractationem sociam, qua super quæstione de qua controverti potest & debet, plures dissidentes veritatis inquirendæ ac defendendæ gratis legitimò mode discipiant. Absit igitur, ut ventilationem quæstionum vel absurdarum vel inutilium, absit, ut studium altercandi, absit, ut veritatis suppressionem, absit, ut inutiles Sophis- cationes, technarum item ac fraudum, ut vocant, artificia, rectius maleficia, legitimæ disputationis nomine appellemus, & titulum hunc, omni encornio majorem variis, stolidisqvè imposturis tribuamus. Non nisi legitimam nobisqvè declaratam disputandi methodum Philosophia, ejusqvè non postrema pars Logica tradit; Nec sanus unquam Philosophus veritatis destructionem, qvibuscunqvè demum illam mediis obtinere adversarius velit, admittendam esse pronunciavit. Doctrinam eqvidem de Sophismatibus ipsa etiam Logica docet, non autem, ut ea quis ad oppressionem veri abutatur, sed discat potius, quam misera sint illorum effugia, qui, ubi de re ipsa quid dicant, non habent, non tamen quod pueri in faba reperisse sese autumant, si jejunis terminorum detorsionibus, adqvè imponendum com-

pe-

positis fallaciis armati & circumcincti incedant. Audiamus, & Philosophum & Theologum, omnium iudicio probatissimum, Præceptorem qvondam in Academia Jenensi longè fidelissimum, venerandum D. D. Bechmannum, qvi in præfatione tractatus Logici de modo solvendi sophismata: Logicam, inquit, in suspicionem non levem adduxit abusus, in primis autem eorum, qvi titulo bonarum argumentationum nugas & sophismata imperitioribus obtrudunt, atq; sic, ut incautos seducant, nullum non lapidem movent. Constitui igitur, præcipua, qvæ nec possunt, Sophismata congerere, & ne lectio prorsus sit ingrata, exemplis Theologicis quandoq; uti, per Syllogismorum Figuras earumq; modos illa distingvere, modumq; ea, qva fieri potest brevitate & perspicuitate eadem solvendi ostendere, quo ita incauti non solum declinare basce fraudes discant, verum etiamne illi, qui ad majores nati sunt curas, hisce remoris impedianter, quo minus ad altiora, quibus destinati sunt, contendant. Huc pariter gravissimæ & Patrum antiquorum, & Theologorum recentiorum omnium monita tendunt. Ex iis: Ambrosius L. I. de fide c. 3. Omnem, ait, vim venenorum suorum, in dialectica disputatione, (i. e. Sophistica) constituant (qvi Philosophia abutuntur) qvæ Philosophorum (Sophistarum) sententia definitur, non adstruendi vim habere, sed studium destruendi. Sed non in dialectica placuit DEO salvum facere populum suum: Regnum enim DEI in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis. Et Augustinus l. 2. de doctrina Christi. c. 31. disputationis disciplina ad omnia genera questionum, qvæ in literis sanctis sunt penetranda & dissolvenda, plurimum valet: tantum ibi cavenda est libido rixandi, & puerilis quedam ostentatio decipiendi adversarium. Ex his videatur B. Danhauerus in idea boni disputatoris & malitiosi sophistæ, & summe Venerabilis D. D. Fechtius, Præceptor, Patronus, & in Christo Pater, submissa animi observantia ad cineres devenerandus, in Noctium Christianarum t. I. exc. l. p. 1. 70. & 76. nec non Maximè Reverendus Lüneburgensis Præsul, mihi qvondam sub Præceptoris, nunc & Deo sic disponente, Superintendentis titulo, qva decet, submissione colendus in discursu Academico, & in numeri alii.

XI. Hæc autem, qvæ in medium produximus, cum recte satis se habeant, probandum nunc vi promissi incumbet, nec principia nec exercitia artis disputatoriæ facto Laici nostri everti. Id qvod ut legitimè instituamus, unicum, idqvè hunc in modum formatum argumentum producemus:

Qvod-

Quodcunq; factum, extraordinarium, prorsusq; miraculosum in veritate convincendi animum adversarii medium fuit, id ad ordinaria veritatem investigandi defendendiq; media, qvæ per legitimam offeruntur præcipuè disputationem, nec potest nec debet applicari, multò minus eadem evertere dicendum est.

A. Laici Confessoris, Philosophum Disputatorem in Concilio Nicæno Oecumenico I. sine disputatione convincingens factum, (si verum id sit;) extraordinarium, prorsusq; miraculosum in veritate convincendi animum adversarii medium fuit.

E. Id ad ordinaria veritatem investigandi defendendiq; media, qvæ per legitimam offeruntur præcipuè disputationem, nec potest nec debet applicari, multò minus eadem evertere dicendum est.

Major per se plana est. Quemadmodum enim sanus nemo negabit, non ordinaria modo veritatem investigandi defendendiq; media, per principia maximè & exercitia suppeditari disputatoria; sed extraordinaria quoq; ac miraculosa, constringendi animos adversarii, inqv; veritate convincendi subsidia, divinam sistere omnipotentiam posse; sic insanum prorsus esset ab extraordinario casu ad ordinarium argumentari, huncq; per illum evertere velle; non aliter, ac absurdum foret, si DEum non juxta naturam, seu ordinarium ejus cursum, sed supra naturam, seu secundum absolutam, id est ordinariis non alligatam cancellis potentiam agentem, diceret qvis ordinarium sic naturæ cursum evertisse, id qvod (ut obiter hoc adiiciamus) innuunt omnes, qvotq; contra naturam (wieder und über alle Natur phrasi nonnullis Homiletarū receptissima) agere DEum in miraculis assentunt, nisi sensum saniorem phrasi exprimere incommoda dicere eos velimus; DEus enim utut ordinariè juxta naturam, & extraordinariè supra naturam agere deprehendatur, nunquam tamen contra naturā agere dicendus est.

Minorem probamus hoc Prosyllogismo:

Quodcunq; factum ratione subjecti, objecti, & effectū, ut extraordinarium ac miraculosum convincendi in veritate adversarii animum, medium esse deprehenditur, id ceu extraordinarium ac miraculosum convincendi in veritate adversarii animum medium sese habet.

A. Laici nostri factum. E.

Major ex terminis; Minor adductā jam historiā patet. Subjectum enim convincens, non erat donis ordinariè requisitis instructum, sed a deo rude, intuitu ejus cum qvo conflictum meditabatur, ut, ne periculuna veritati accederet, prudentiores metuerent; vid. N. III. p.3.

At contra objectum, circa quod convincendum homo ruditis occupatur, versatissimum erat in omni eruditionis genere, nec licet tantum mediis, verum & fraudibus uti noverat, adeo, ut doctissimis etiam Episcopis negotium facefferet. vid. N. III. p. 3. & adde dicenda N. XII. p. 11. Quod si jam ordinarius hic subsecutus esset electus, victoria nequam obtineri potuisset; sed & extraordinarium divina operabatur potentia eventum, Victoriam sine pugna, interno Spiritus S. testimonio efficacissime in Philosophi animo operanti adscribendam; unde & *Gaspar* expresse Sozomenus l. c. appellavit. Sed haec ulterius deducere Theologorum est. Nobis nunc sufficiet, vel hominem Pontificium, Gregorium nempe de Valentia adduxisse, qui in *Analysi fidei* l. I. c. XXV. Cum multa sine, inquit, in ipsa doctrina Christiana, quae ipsa per se fidem illi atque auctoritatem conciliare possunt, tamen mibi maximum illud esse videtur, ut est a *Patribus*, Clemente Alexandrino, *Laetantio* & aliis observatum, quod sua, nescio qua admirabili vi divinè prorsus hominum animos afficit, atque ad virtutem compellit. Est scripta verbis simplicibus, caret ferè artificio orationis & ornamenti, nihilominus ita vehementer commovet lectoris memorem, ut nulla alia doctrina. Nam humana omnis utitur lenociniis sine quibus ad animorum motum nihil valet. Quod argumento est, scriptura auctoritatem omnino divinam esse, nec humanam, hæc enim sine verborum arte & orationis quasi lenociniis ad efficiendum animorum motum non valet. Addatur specialis Dissertatio saepius laudati Dn. Möller de interno Spiritus S. testimonio.

XII. Imo tantum abest, ut principia & exercitia Artis Disputationis factio Laici nostri everti dici possint, ut per id firmari potius ac vindicari comprehendantur. Argumentamur eo fine hunc in modum:

Quodcumque factum aperte docet fraudes Sophisticas à legitima disputatione abesse debere, id principia & exercitia disputatoria probat & vindicat.

A. Recensitum Laici nostri factum. E.

Major ex dictis N. X. p. 7. patet. Quisquis enim ea, quae legitimam disputationi methodum corruptunt, improbat & rejicit, artem eo ipso disputationiam adversus hostes suos vindicat.

Minorem probamus hoc Pro-Syllogismo:

Q. Factum docet per fraudes Sophisticas veritatem non investigari, sed occultari, de primi, multisquæ exponi periculis, id aperte docet, fraudes Sophisticas à legitima disputatione abesse debere.

A.

Major ex definitione legitima disputationis patet; vid. sup. N. X. p. 7.
Minorem probat historia. Non enim nisi Sophisticas fraudes Philosophus proferebat, unde expresse Gelasius l. c. *Unus ex mercenariis illis Arii Philosophis, qui præ ceteris omnibus admirationi fuit, (iis qui Sophistica delectabantur;) plurima pro Ario contra nostros Episcopos plures dies differuit, sic ut quotidie propter disputationis conflictum ingens esset concursus multorum ad audiendum properantium — Diabolice verborum arte (En! Elogium Sophistices;) fretus, prædicatam ab Episcopis veritatem vexare non desit, facile ut putabat, cum quovis obvio manus conferens, dissolvere nitebatur objectas questiones, ex argumentis eriam fortioribus, quibus constringi sibi ipsi videbatur, instar angilliæ elabens. Qvomodo autem veritas fraudibus his non investigata, sed occultata, depressa, multisq; exposita periculis fuisset, nisi DEUS eandem eripuisse, ac sartam, teclam atq; illibatam servasset, verba Historici superius adducta ostenderunt.*

XIII. Qvod si jam hæc omnia Barclajo cum assedis opponere velimus, ut paucis multa complectamus, inter disputationum usum & abusum distinguiam, illum juxta datam Disputationis definitionem probantes, hunc ex ipso Laici nostri facto rejicientis. Examen accuratius forum excedit Philosophicum, cuius nunc terminis circumscribimur; Unum tamen adhuc, qvin addamus, non possumus, ipsum Barcrajum, legitimum disputationis usum probare videri; qvando Syllogismis, juxta normam Regularum Logicarum accurate elaboratis, adeoq; in forma legitimis, ut in materia vitiosis, creberimè utitur in eadem sua *Apologia*; Conferantur p. 9. 12. 16. 22. 23. & innumera loca alia.

XIV. Non invenustè forsitan, qvæ Augustinus qvondam Cresconio Donatistæ, ob institutas legitimè disputationes Venerandum Præsulem taxanti, objecit L. I. *contra Cresconium c. XIII.*; eadem & nos Barclajo, Protestantes, legitimam disputandi methodum probantes, intempestivè reprehendenti, opponere poterimus. Sic autem l. c. Augustinus: *Quid est aliud Dialectica, quam peritia disputandi? quod ideo aperiendum putavi, quia etiam mihi ipsam objicere voluisti, quasi Christiana non congruat veritati, & ideo me doctores vestri velut hominem Dialecticum meritò fugiendum portius & cavendum quam refellendum, revincendumq; censuerunt. Quod cum Tibi non persuaserint, nam Te adversus nos etiam scribendo*

disputare non piguit, tu tamen in me Dialecticam criminatus es, quos falleres imperitos, illosq; laudares, qui disputando congregandi mecum noluerunt. Sed Tu videlicet non dialecticā uteris, cum contra nos scribis: ut quid Te ergo in tantum disputandi periculum projecisti, cum disputare non noveris? aut si nosti, cur Dialecticus Dialecticam criminari, ita vel temerarius, vel ingratus, ut aut imperitiam, qua vinceris, non refranes, aut doctrinam, quā juvaris, accuses.

XV. Et hæc sunt, quæ pro qualiscunq; modulo ingenii propter angustiam temporis, qva includimur, primis rectius adumbrare lineis, qm pro materia excellentia deducere valimus; DEO interea TER OPTIMO TER MAXIMO pro concessis gratiæ suæ auxiliis submississimas persolvimus gratias. Potentissimo ejusdem Numini nos totos devoventes. LECTOR BENEVOLUS veritatem approbet, ac si minus accurate nos eam proposuisse forsan deprehenderit, indulget; Coronidis interim loco, totius nostræ tractationis Sciagraphiam Augustini & Damasceni verbis delineatam accipiat. Ille L. I. contra Cresconium C. XX. sic Scopum nostrum proponit: Hancarem, quam Dialecticam vocant, quæ nihil aliud docet, quam consequentiā demonstrare, seu vera veris, vel falsa falsis, nunquam Doctrina Christiana formidat, sicut eam in stoicis non formidabat Apostolus, quos secum volentes conferre non respuit: Et ipsa enim, fatetur, & verum est, neminem disputando ad conclusionem falsam consequenter impelli, nisi prius consenserit falsis, quibus eadem conclusio, velit, nolit efficietur: At per hoc qui carot, ne loquente consequantur falsa, quæ non vult nolens falsa caveat, quæ precedunt. Si autem præcedentibus veris inhaerit, quicunq; consequentia perspexerit, quæ falsa existimat, vel de quibus dubitabat admonitus amplectatur, si veritati est pacatissima amicior quam contentiosissima vanitati. Damascenus c.l. dialecticæ sue institutum nostrum hisce commendat: Cum S. Apostolus jubeat omnia probare, & quod bonum fuerit, retinere, agite scrutemur etiam exterorum sapientum disputationes: haud dubie enim in iis quoque satis aliquid inveniēmus, & fructum ex iis aliquem, quid animo nostro conducat, percipiemus; Nam cum omnis Artifex indigeat instrumentis ad opera sua perficienda, quidni & ipsi regina artium famula aliqua inseruant? Logicam itaq; illam, tanquam veritatis ministram recipiamus & simplicitatem, sub cuius tyrannie fuit, ab ea amoveamus, nec eo, quod bonum est, male utamur, aut ad decipiendos simpliciores artem disputandi trahemus: Quanquam enim veritas multiplici facio non opus habet, ad confutationem tamen aëversariorum, & falso dicta scientia iis utamur.

S. D. G.

Ad
Perq. Reverendum & Præclarissimum
hujus Disp. PRÆSIDEM,
DN. J. CHRISTOPH. JAUCHIUM,
Designatum ad S. Lamb. Ecclesiasten Lüneburgensem,
Epiſtola

JO. FECHTII, D.

Quum ex Academiâ Jenensi, ubi prima bonarum literarum fundamenta jeceras, JAUCHI amantissime, ad hanc nostram primum accessisti, ingenio Tuo, descendique ardore captus, Tuo Te merito amare coepi. Mox à Serenissimo, Pientissimoque Duce, GUSTAVO ADOLFO, ob spem, quam de Te conceperat, amplissimam, in eorum numerum receptus, quibus inusitatâ munificentia, provehendis ad majora sanctioribus studiis, beneficia clargitur, curæ meæ & gubernationi ipsa studiorum tuorum ratio subjecta est. Ex quo tempore Te inter eos semper numeravi, qui indefessâ in omni studiorum genere industriâ & honestissimâ æmulatione cum solidioris literaturæ amatoribus, quasi ardore quodam incensi, contendere summi vi nituntur. Nihil Tibi prius, nihil antiquius erat, quam audire privatas publicasque doctorum lectiones, colloquyiis eruditorum, ex quibus proficere poteras, cum inusitatâ quadam animi Tui volupitate immisceri, nec ullam negligere occasionem, quâ Tibi conciliare præceptores Tuos, eorumque demeriti posses favorem. Hanc laudem universa Tibi cedit Academia nostra. Nec eandem ignorantia Pomerania, Prussia & Marchia, inq; iis scholæ cum primis illustres, Gryphisvaldia, Dantiscum, Regiomontum & Francofurtum, è quibus Duce excellentissimo MOLLERO nostro, cum lectissimâ juvenum coronâ, eam multarum rerum notitiam hausisti, quæ in futurâ quoque vitâ Tuâ usum Tibi adfundet non vulgarem. Antea Havniam quoque profectus, Mas' illius, Theologi, cuius consummatam doctrinam Germania quoque nostra admiratur, tantum brevi tempore natus es favorem, ut ad me his verbis ante biennium scriberet: *Jauchius vester, ut est alacri ingenio & insigni morum suavitate præditus, omnibus hic gratus acceptusq; fuit. Concionem hæri coram Serenissimo Principe nostro CAROLO habuit & torius auditorio applausum sibi conciliavit.* Nec alia de Te fuere judicia, cum in Holsatiâ nuper, Kilonium in primis & Slesvicum & Lubecam, excurreres & illorum locorum Theologos, toto orbe celebres, salutares. Ita factum est, ut virtutes Tuæ tanto decorum augmento undiquaque exornatae, Divinâ advigilante providentiâ, quæ animum Tibi istum & istam bene semper præclareque agendi promptitudinem insevit, non laterent eos, qui sacrorum à DEO curam sunt adepti. Quare cum sine ullo Tuo ambitu ad eam functionem, quam brevi obiturus es, vocareris, ambiguo primum animo incomparabilis PRINCEPS, utrum servaret Te rebus majoribus, an dimitteret, hæsit, donec nutum DEI, quem unicam agnoscit actionum suarum regulam, veneratus, bene se fecisse statueret, quod & aliis suo sumptu idonea promovenda DEI gloriae instrumenta eduxisse deprehenderetur. Itaque fausto fortunatoque itinere, quo Deus Te vocat, quem in oculis semper habuisti. Bene Tibi, benelaboribus Tuis precantur & DUX AUGUSTISSIMUS & patria Tua universa & Academia hæc nostra & Parentes præcipue

C

cipue

cipuè Tui , & boni omnes, qui ex confortio Te suo ægerrimè dimittunt. Habet pæ-
terea Amplissimi Philosophorum Ordinis illustre de Te judicium , qui quantopere
inter Doctores suos recensere Te vellet, duplice documento , neque obscuro, neque
frequenti, testatus est. Ego verò utrumque Tibi ornamentum enixe gratulor, quo-
que impensis tuis affectu sum prosecutus, eò ardenter DEum veneror, ut
id Ecclesiam , cui præfuturus es , sit salutare & Tibimetipsi honorificum. Vale optimè.
Scr. Rostochii d. XXIII. Octobr. M DC XCV.

Q Vi Virtute parat justæ pæronia famæ,
Laudatos inter surgit honore Viros.
Huc qvia perpetuò tendis *Clarissime Jauchi,*
Ergo comes studiis Gloria larga datur.

*Tertiatos hōsc, cœus sinceri ac propensissimi affectus in Clari Doctum
Dominum Authorem testes, cum voto omnigena felicitatis
apponit, de singulari hocce specimine impense gratulans*

JOH. Klein / D. & Pandect. P. P.
nec non Consist. Meckl. h. a. Director.

Eruditissimæ Dissertationis
AUCTORI & PRÆSIDI,
VIRO Admodum Reverendo & Praclarissimo,
DN. JOH. CHRISTOPH. JAUCHIO,
Philosophiæ Candidato & Vocato Ecclesiastæ Lüne-
burgensi dignissimo,
FCTIS PHILOSOPH. h. t. DECANUS,
JOHANNES Gottlieb MÖLLERUS, Gedanensis.
S. P. P.

Duo sunt, *Vir Clarissime*, de qvibus futuros Ecclesiæ
Ministros serio sollicitos esse decet ; alterum , ut
sufficienti excellant eruditione , alterum , ut vi-
tae studeant integritati. De utroque , non verè minus ,
ac eleganter , Hieronymus ad Nepotianum : *Nolo te de-
clamatorem esse, & rabulam, garrulumque sine ratione, sed My-
steriorum peritum , & Sacramentorum DEI tui eruditissi-
mum, — Non confundant opera tua sermonem tuum, nè,
cum*

cum in Ecclesia loqueris, tacitus qvilibet reffondeat, cur ergo
hac, qvæ dicas, ipse non facis? Nihil do amicitiæ, nihil blan-
dimentis, sincero interim candore id possum afferere, con-
firmantibus, qvi Te norunt rectius, & invidiæ locum non
indulgent, bonis omnibus, in utroqve necessario reqvisito
haec tenus Te excelluisse. Et, si tacerem ego, loqverentur de
eruditioñis soliditate abundè specimina, tam Academicâ,
qvam Ecclesiasticâ de Cathedrâ, Jenæ, Rostochii, Gü-
strovii, Hafniæ, aliisqve in locis edita; Loqverentur Disser-
tationes de Auctoritate Scripturae, & ex Historia Bæcleriana
masculè, qualicunqve meo sub Præsidio, sic à Te defensæ,
ut totius Judicio Auditorii meam nunquam operam im-
plorare habueris necessum. Loqverentur & Examen ri-
gorosum, qvod in Consessu Amplissimæ FCtis
Philosophicæ tanta cum laude sustinuisti, ut unanimi
Consensu, ceu dignissimus Philosophiæ Canditatus fue-
ris receptus; & lectiones, benevolo Facultatis Indultu
in Nobilissima, ultra sexaginta Dnn. Comilitonum Corona,
de DIVO JULIO, Principe Brunsvicensi & Lüneburgensi,
sic institutæ, ut præmisso de Principibus Protestantibus,
bene de religione Lutherana superiori seculo meritis, E-
xordio; vita D. JULII, inq; ea præcipue Historia, Reforma-
tionis Ducatus Brunsvicensis & Lüneburgensis, fundatio-
nis Academiæ Helmstadiensis, & consignationis Corporis
Julii fuerit tradita; sub junctâ conclusione, qvæ docuit, &
hoc seculum tantis superbire Principibus, probavitqve In-
comporabilis, qvem servet DEUS, literarum Patroni, Sere-
nissimi Ducis Güstroviensis, DN. GU-
STAVI ADOLPHI, Principis nostrilon-
ge clementissimi, qvi inter Stipendiatos Te suos
gratio-

gratiosissimè hæc tenus fovit; tandemque & Ecclesiæ, ad
qvam tendis, Lüneburgensi, de SUORUM meritis PRIN-
CIPUM est gratulata. Loqveretur hæc ipsa Dissertatio, eru-
ditissimè à te conscripta, in qva, Respondente Dn. Saffio, ob
literaturæ, morumq; elegantiam mihi commendatissimo,
ac bonis merito omnibus commendando, Præsidium ob
raras ingenii Tui dotes, & Venerabilis, ad qvod vocatus es,
officii dignitatem, extraordinariè, unanimiter tamen,
Amplissimum Philosophorum Collegiū
Tibi indulxit. Et loqvetur aliquando *Jurisprudentia Theo-
logica Dorscheinæ* (cujus Tibi MSCtum **Magnificus**
qidam Patronus, pro Suo, in Te affectu benignissi-
mè concessit;) Editio, si commoda sese obtulerit occasio, o-
pera tuâ procuranda. Vitæ integritas ea hucusque in te
splenduit, ut aliis Coñilitonum in exemplar laudabile tutò
potueris commendari; nec metuere de Te opus habeat,
qvo de conqueritur Lactantius, ingemiscens: *Qui docent
tantum, nec faciunt, ipsis præceptis suis detrahunt pondus.* *Quis
enim obtemperet, cum ipsis Præceptores doceant non obtempera-
re?* Bonum est, recta & honesta præcipere, sed nisi & facies,
mendacium est; & incongruens, atq; ineptum est, non in pe-
ctore, sed in labiis babere bonitatem. Macte tuis his vir-
tutibus Vir Clarissime, &, ad qvod Divinitus vocatus es,
Venerabile officium, hilari animo tende, vive DEO, vive
Ecclesiæ, vive Patriæ, vive Parentibus, vive Amicis, vivè
memor amicitiae nostræ, & vale! Scribebam Rostochii d.
XXV. Octobris A. R. O. M. DC. XCV.







Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn740914308/phys_0025](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740914308/phys_0025)

DFG

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn740914308/phys_0026](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740914308/phys_0026)



cum in Ecclesia loqueris , tacitus q' vilibet re
 hac , q'va dicis , ipse non facis ? Nihil do am
 dimentis , sincero interim candore id pos
 firmantibus , qvi Te norunt rectius , & in
 indulgent , bonis omnibus , in utroq' ne
 haec tenus Te excelluisse . Et , si tacerem eg
 eruditionis soliditate abunde specimina ,
 qvam Ecclesiasticâ de Cathedrâ , Jenæ ,
 strovii , Hafniæ , aliisq' in locis edita ; Lo
 tationes de Auctoritate Scriptura , & ex H
 masculè , qualicunq' meo sub Præsidio
 ut totius Judicio Auditorii meam nunq'
 plorare habueris necessum . Loqverent
 gorosum , qvod in Consensu Ampl
 Philosophicæ tanta cum laude susti
 Consensu , ceu dignissimus Philosophia
 ris receptus ; & lectiones , benevolo Fa
 in Nobilissima ultra sexaginta Dnn . Coñ
 de DIVO JULIO , Principe Brunsicensi
 sic institutæ , ut præmisso de Principib⁹
 bene de religione Lutherana superiori S
 xordio ; vita D. JULII , inq ; ea præcipue H
 tationis Ducatus Brunsicensis & Lünebu
 nis Academiæ Helmstadiensis , & cons
 Julii fuerit tradita ; sub junctâ conclusio
 hoc seculum tantis superbire Principibus
 comparabilis , qvem servet DEUS , literaru
 nissimi Ducis Güstroiensis
 STAVI ADOLPHI , Principi
 ge clementissimi , qvi inter Stip




Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 09A